



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 29. Supremus Ordinis Teutonici Magister Lutheri Sectæ addictus, ac  
Connubio junctus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

subsequenter alliceret. Tunc & Deus se Sæcul.XVI. A.C.1526.  
 videndum præberet in gloria, igitur eripiat  
 se ex scelesto, & impio statu, in beatum di-  
 vinumque statum Matrimonii, ubi Deus pro-  
 pitium se facit inveniri. Ut vero hanc fa-  
 crilegam propositionem quodammodo  
 comprobaret, addidit, opus ac voluntatem  
 Dei esse, ut vir habeat mulierem Gen. 1.  
 Non est bonum (inquit Deus) virum esse  
 solum, faciam ei adjutricem, quæ circa eum  
 sit: Ubi ergo Deus non facit miraculum,  
 Angelum ex homine faciens, non possum vi-  
 dere, quomodo vir queat absque ira, & in-  
 dignatione Dei solus ac sine muliere perma-  
 nere. Attamen Archiepiscopus, cum sa-  
 pientia ac prudentia clarus esset, impro-  
 bam hæretici levitatem, audaciamque  
 contempsit, ac nequidem ad ejusmodi  
 literas respondit.

## §. XXIX.

*Supremus Ordinis Teutonici Ma-  
 gister Lutheri Sectæ additus,  
 ac connubio junctus.*

Attamen Lutheri suggestionibus ma-  
 gis faciles aures præbebat alius qui-  
 dam Albertus, Moguntino Electori san-  
 guine junctus, necnon magnus Ordinis  
 Teutonici Magister. Hic ordo, post-  
 quam se ab Ecclesiæ gremio segregave-  
 rat, ac per centum quinquaginta & am-  
 plius

Sæcul. XVI. plus annos cum Polonis bellum gesserat, simul supremi domini jus amisit; A.C. 1526. illius enim caput Albertus Brandeburgicus, cum Cæsarem Italarum æque ac Gallorum armis valde implicatum in Hispaniis hæere noffet, se tam acriter a Polonis vexatum mentiebatur, ut nisi prompto juvaretur auxilio, proximus ruinæ esset. Quocirca Cæsaris opem implorabat, cum autem suppetiæ tardius adventarent, cuncta Ordinis sui privilegia evertit, potissimam ærarii partem suos in usus impendit, Prussiam cum Polonis divisit, seque eorum præsidio commisit, ac mediam, quæ ei adhuc supererat Provinciam, illis vectigalem reddidit, ea tamen lege, ut impoterum illam velut Ducatum sibi proprium possidere, atque beneficiario nomine ad hæredes suos transmittere permetteretur. Ast genuinam tam subitæ mutationis causam vix integro Mense dissimulare poterat; quamvis enim jam sexagesimum nonum ætatis suæ annum emensus esset, nihilominus summa hæc senectus nondum in eo extinxerat effrænatam nubendi libidinem: Quapropter Dorotheam Holsteinii Principem sibi copulavit, peractoque connubio adhuc triginta ferme annos vita superstes vixit; improbo hujus consilio Lutherus flagitium suum honestare, prom-

promptamque illius executionem exemplo a se prius dato adscribere haud dubitabat. Sæcul. XVI;  
A.C. 1526.

§. XXX.

*Disputatio inter Erasmus & Lutherum de libero arbitrio.*

Exeunte hoc anno Lutherus arrepto *Cochl. l. 2. p. 140.*  
calamo libellum edidit *de servo arbitrio*; jam antea Erasmus alium scripsit *Sleidan. l. 4. p. 123. l. 9. p. 273. & 274.*  
librum, cui titulus: *Diatriba de libero arbitrio contra Lutherum*, in cujus operis præfatione asserit, hanc quæstionem omni ævo acriter fuisse agitatam, atque arbitrii libertatem a nemine vehementius impugnatam, quam a Martino Lutero, hancque ob causam se hujus Doctoris dogma suppresso ejus nomine evertens aggredi. Postea dicit, negari haud posse, quod efficax virtus libero arbitrio insit, cum sacræ Paginæ nos hortentur, ut si peccatis obnoxii simus, a malo recedamus, viamque pœnitentiæ amplectamur, si vero per salutis semitam incedimus, ad majorem perfectionem tendamus: Post hæc affirmat, quod nos mali causa simus, omne autem bonum a Dei bonitate procedat, cui omne, quod sumus, debemus. His ita expositis ad ipsam quæstionem transit, atque ex Sacro Codice